

A. LAURENTIUS

De Cruce Piorum.

Hafniæ 1580.












BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

DE CRVCE PIORVM 72.

THESES
PVBLICE AD DISPV-TANDVM

Die 27. Iulij. Anni 80.

AB

ANDREA LAVRENTIO

propositæ.

IACOBO IACOBI F.

Respondente.



HAFNIAE

Imprimebat Andreas Gutterwitz.

ANNO

M. D. LXXX.

THESES DE CRVCE ECCLESIÆ ET piorum.

I.



CRucis ſupplicium apud Iudæos, ſicuti etiam apud alias gentes, ignominioſiſsimum erat. Deut. 21. Suſpenſus execrationi eſt.

II.

Inde ad huius vitæ miſerias, quæ carni videntur ignominioſæ, in Eccleſiæ ſermonem vocabulum traductum eſt.

III. Eſt ergo Crux quæuis animi vel corporis afflictio pijs certo Dei conſilio impoſita.

IIII. Eius gradus à proprijs cauſis ſumpti, quatuor recte ſtatuuntur: vt ſunt τιμωρίαι, δοκιμασία, μαρτύριον & λύτρον.

V. Primus, τιμωρίαι, id eſt pœnæ, quæ ob peccata, vt Dauidis adulterium, 2. Sam. 11. Oſiæ Polypragmoſynen, 2. Chron. 26. delinquentibus irrogantur.

VI. Harum pœnarum cauſæ quatuor ſunt præcipuæ.

VII. 1. Ordo iuſticiæ Dei, in eos, qui ruunt in ſcelera, animaduertentis. Gen. 18. An iudex totius terræ non faceret iudicium? Numer. 14. prorſus non abſoluit ſontem. Pſal. 61. Reddet vnicuiq; ſecundum opera ipſius.

VIII. 2. *Vt honestorum & turpium discrimen sit illustrius, quod nullum, si scelera non vindicarentur, esse videri posset.*

IX. 3. *Vt & ipsi, qui in pœnis hærent, & alij horum exemplis permoti discant sapere. Num. 26. fuerunt in signum. Deut. 19. Qui reliqui sunt, audientes timeant, neq; deinceps pergant facere simile quicquam.*

X. 4. *Vt vitæ communis societas, quam scelerum licentia dissipat, eò melius conseruetur.*

XI. *Resipiscentibus vel tolluntur, vel mitigantur pœnæ. Psal. 89. Visitabo virgâ defectionem eorum. Hoseæ 11. Non faciam furorem iræ meæ.*

XII. *Secnndus gradus est, δοκιμασία, id est qua fides & patientia Sanctorum, vt Abrahæ, Gen. 22. Iosephi, Gen. 39. Syrophœnissæ, Matth. 15. & aliorum, explorantur.*

XIII. *Huius probationis sæpe meminit Scriptura. Psal. 66. Probasti nos sicut conflator argentum. Galat. 4. Experimentum mei pro nihilo non habuistis.*

XIIII. *Tertius gradus est μαρτύριον, id est testimonium, quod veritati doctrinæ cælestis, cruenta morte Sanctorum, vt Abelis, Stephani, Baptistæ, Pauli, &c datur.*

XV. *Martyres enim eos, qui dirissimos perpessi cruciatus, vitam & sanguinem pro veritatis confessione fudêre, vocarunt.*

XVI. *Horum crux certum est animæ immortalitatis, & futuræ vitæ argumentum.*

Alij

XVII. Alij, qui magno animo mortem oppetierunt, vt olim circumcelliones, & nostra memoria multi Anabaptistæ & Libertini, hoc tam augustum nomen mereri non possunt.

XVIII. Non enim quid quisq; patiatur: sed quare patiatur, attendi debet: quemadmodum recte dixit Augustinus.

XIX. Quartus gradus est λύτρον, quod propriè significat precium, quo captiui redimuntur: vnde ad spiritualem liberationem à peccato, morte & potestate Diaboli, deducta est vocabuli significatio. Vt Matt. 20. Christus venit, vt daret λύτρον animam suam.

XX. Vt primus gradus est piorum & impiorum communis: alter & tertius piorum proprius: sic postremus solius filij Dei est. Psal. 64. Quæ non rapui reddidi. Esa: 63. Torcular calaui solus.

XXI. Cum enim homines nec legi Dei satisfacere, nec iudicium legis & molem pœnarum (quorum alterutrum postulabat iusticia Dei) sustinere possent: mirando consilio decretum fuit, vt ὁ λόγος Homo factus, legem impleret.

XXII. Vt igitur solius Christi obedientia sumus iusti: ita propter λύτρον ab ipso persolutum, sumus liberati à morte & tyrannide Diaboli.

XXIII. Causa primaria crucis & afflictionis est cùm primorum parentum contumacia, tùm etiam singulorum peccata. Rom. 5. Per peccatum mors. Psal. 39. Propter peccata corripis hominem.

XXIIII. Efficiens est ipse Deus. 1. Cor. 11. A Domino corripimur. Amos 3. Non est malum in ciuitate, quod non fecit Dominus.

XXV. Forma Crucis est afflictionum varietas: vt carcer, amißio eorum qui nobis chari fuere, Schapha, Tympanismus (Nam & horum meminit Scriptura) exilium &c. de quibus 1. Cor. 4. & 2. Cor. 11. & Autor Epistolæ ad Hebr. 11.

XXVI. Vtitur autem Deus varijs medijs, & quasi instrumentis ad flagellandos suos, quorum aliquot indicasse operæprecium fuerit.

XXVII. 1. Angelis bonis & malis: 2. Sam. 24. excitat Angelus Iehouæ pestem, qua septuaginta millia virorum absumpti sunt: & Satanæ permittitur Iobum grauißimè affligere.

XXVIII. 2. Hominibus: vt Magistratu, Tyrannis, Hypocritis, Hæreticis: quod pluribus Exemplis declarari posset.

XXIX. 3. Elementis ipsis: vt aqua in diluuio Gen. 7. terra: Num. 16. aëre: vt meteoris varij generis.

XXX. 4. Bello, fame, peste alijsq; morbis. Leuit. 26. Deut. 28. Amos 4. Misisti in nos pestem pro ratione Ægypti.

XXXI. 5. Brutis: vt feris, locustis, erucis, melolonthis, quas Deus suas copias Iohelis 2. vocat.

XXXII. Sunt & alij modi, quos ideo considerare oportet, vt intelligamus, quàm horrendum sit, in Dei irati manus incidere.

Fines

XXXIII. Fines & effectus varij sunt, qui ad duos maximè insignes propemodum reuocari queunt.

XXXIIII. 1. Est Dei gloria, quæ dum affliguntur pij, inuocatione ardentissima; & post liberationem, sacrificijs Eucharisticis, illustratur. Psal. 37. Abscondisti faciem tuam & territus sum: tum ad te, Iehoua, clamaui.

XXXV. 2. Vtilitas hominum quæ ex cruce & afflictionibus multiplex existit.

XXXVI. Primùm enim discunt melius quam aliàs: & iram Dei aduersus peccata, quam securi ferè neglexerant, eiusq; potentiam in liberando, & benignitatem erga resipiscentes, intelligere.

XXXVII. 2. Discunt se ipsos, quos anteà cæcus amor sui, & alij vitiosi affectus fascinarant, melius nosse. Ieremiæ 31. Castigasti me & eruditus sum.

XXXVIII. Fit enim ferè, vt in secundis rebus sint negligentiores. Deuter. 32. Saginatus Ieschurum recalcitrauit: In aduersis verò ardentius Deum precentur. Esa. 29. Domine in tribulatione visitant te.

XXXIX. 3. Assuefiunt patientiæ. Rom. 5. Gloriamur in oppressionibus, scientes quod oppressio patientiam efficiat.

XL. 4. Discunt etiam quantum hominibus fidendum sit. Nam pauci inueniuntur, qui in aduersis amicorum rebus, ad felicius latus nauis se non inclinent. Prouerb. 17. Frater in angustia enascitur.

Cum

XLI. 5. *Cùm tandem experti fuerint in huius mundi rebus, nullam esse constantem felicitatem: contendant ad aliam vitam, in qua æternùm beati erunt.*

XLII. *Hæc beatitas non ob villas nostras afflictiones: sed propter Christi obedientiam, & λύτρον ab eo persolutum; credentibus in eum, gratuitò donatur. Rom. 6. Donum Dei vita æterna.*

PORISMATA.

I.

Vt persequutionum tempestatem: sic morbos contagiosos pijs interdum secessione declinare licet.

II.

Afflictiones sunt malum.

III.

Castigationes piorum sunt temporariæ, nec semper in eorum posteros deriuantur.

IIII.

Tyranni, etiam cùm iußi à Deo, ipsius iudicia exequuntur, peccant.

V.

Hominum peccata ex præsentibus pœnis æstimanda non erunt.

VI.

Mala vel imminentia, vel præsentia deprecari concessum est.



